



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De armo porcino, pauperibus dato, & de alio diuinitus recuperato. XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

CAPVT XXI.

De armo porcino, pauperibus dato, & de alio diuinitus recuperato.

1. **P**la & misericors virgo Lideuigis, dum quadam vice percepisset aliquos pauperes longo tempore præ inopia carnes non manducasse: & quia pro tunc non habebat carnes, quas daret, misit ad domum cuiusdam amici sui, petens vt armum porcinum bulliret, & sibi transmitteret. Quod ille libenter fecit, & transmisit. Ipsa verò carnes paratas & coctas in partes diuisit, & prædictis pauperibus, quos indigentes nouerat, sine tardatione destinauit.

2. Sed omnipotens & misericors Deus, qui nouit corda omnium, & nullum bonum relinquit irremuneratum, celerem vicissitudinem reddidit charitati huius benefactoris, etiam in præsentem. Nam ingressus domum suam, cum casu sursum ad carnes pendentes aspiceret, vidit (quod dictu mirabile est) in loco armi ablati, & virgini pro refectioe pauperum transmissi, aliū meliorem & pulchriorem pendentem. Quod multi audientes, gratias omnipotenti Deo retulerunt; & in posterum ad eam magis affectati sunt, libenter tribuentes, quæ virgo ad esum pauperum ex lacticinijs ab eis postulabat.

CAPVT XXII.

De carnibus & pisis pauperibus missis & multiplicatis.

1. **S**imiliter contigit tempore quodam in autumno, vt virgo quartam partem iunioris vaccæ emptam, in quarta parte vasis faceret saliri: sed & mediam partem cuiusdam mensuræ pisarum, pro necessitate pauperum procurauit; volens ex his tēpore hyemali, quibusdam egenis domi residentibus subuenire. Cum ergo ex prædictis carnibus misisset ad triginta sex ferè domos egenorum, reuersus ad eam nuntius aiebat, se cum admiratione tantum distribuisse, quantum primò in vase salierat, & adhuc parum diminutum esse. Simili modo de pisis fecerat, quæ & valde parum minorata videbantur. Quo audito, virgo magnam Dei bonitatem considerans, & gratias agens caelesti prouisorio suo, ait nuntio: O quàm magna est potentia Domini Dei nostri? O quàm merito libenter pauperibus elemosynas dare deberemus? De prædictis autem carnibus & pisis comedebant etiam omnes, qui in domo eius erant. In tantum Dominus præfatis cibarijs benedixerat, quòd peracto Pascha, quasi media pars eorum supermasserat.

2. Tota